

16447

DE  
PRURIGINE UNIVERSA-  
LITER APPARENTE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI  
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME ADIPISCATUR,

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

*ADOLPHUS ALEXAND. GOEDECHEN,*

DORPATO-LIVONUS,

DORPATI LIVONORUM,  
TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXVIII.

PRINCIPI CELSISSIMO

CAROLO DE LIEVEN

IMPERATORIS TOTIUS RUTHENIAE SUMMO PEDI-  
TUM PRAEFECTO, A CONSILIIS IMPERII, ORDI-  
NUM, ALEXANDRI NEVSKOII ET ANNAE BEA-  
TIS NOMINIBUS INSIGNITORUM PRIMAE  
CLASSIS, ALIORUMQUE EQUITI,

Imprimatur,

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit haec  
Dissertatio, septem exemplaria collegio, cui censura libro-  
rum mandata est, tradantur.

Dorpati Livonorum d. viii. Mens. Mart. MDCCCXXXVIII.

Dr. Sahmen,

Decanus.

UNIVERSITATIS LITERARUM DOR-  
PATENSIS CURATORI

HANC COMMENTATIUNCULAM

SUBMISSO ANIMO AC REVERENTIAE  
PLENO

DEDICAT

D 17798

AUCTOR.

## Prooemium.

Mirum forsàn Tibi videbitur, Lector benevole, nos latius patentem non aggressos esse quaestionem, quam hanc de Prurigine universaliter apparente, quae hucusque levis momenti habita, in paucissimis tantum tractata reperitur de chronicis exanthematibus commentationibus. At speramus, fore ut veniam nobis des, quibus vires non suppeterent ad uberiores majoremque materiam expediendam. Haud levem vero omnino morbum a nobis in disceptationem vocari, ex eo jam concludi potest, quod pruritus sensus, qui comes est Pruriginis, aegrotis molestias affert quam maximas, immo ad vitae satietatem interdum eum adducit atque desperationem. Accedit, quod Prurigo, saepissime cum aliis exanthematibus permutata, semper fere non agnoscitur et in rarissimis tantum casibus, ipsa quidem vera diagnosi constituta et commoda medendi methodo adhibita, in bonam et constantem abiit valetudinem.

Interea, quum cujusque morbi cura e certa pendeat ejus diagnosi, in commentatiuncula nostra de sola fere Pruriginis diagnosi disseruimus, hujusce morbi distinctionem a ceteris exanthematibus papulosis maxime respicientes, nec Scabiem, Eczema aliaque chronica exanthemata praetermittentes, quibuscum saepe confusa est Prurigo. Ad quod inceptum eo praecipue adducti sumus, quod morbum hunc, in universum raro occurrentem, sub auspiciis Cel. Professoris Dr. Struvii, iterum atque iterum observatum et ipsi curabamus, item quod praelectionibus hujus praceptoris nostri honoratissimi de diagnosi exanthematum semper prae ceteris tenebamur.

Autores anteriores, qui de Prurigine mentionem fecere, notionem hujus morbi ad plura referebant exanthemata, maxime a se invicem recedentia, et de omnibus simul disserebant, ita ut hucusque plane non intellexeris, quae sit peculiaris Pruriginis natura; sic Cel. J. P. Frankius sub *Psudrasia* nomine eam attulit, Swediauerus contra sub nomine *Psoriaseos*. Praestantissimis de Prurigine commentationibus illa sane Cel. Villani est adnumeranda, quae partem constituit praedari ejus operis de exanthematibus, et quum Villanus hanc rem commodissime paucissimisque verbis exposuerit, nos auctoritatem ejus in hac dissertatione inaugurali po-

tissimum sequemur, diligenter perlustratis scriptis, nuper de exanthematibus vulgatis *Plumbii*, *Rayeri* aliorumque, infra a nobis citatorum.

Remittas frontem, Lector benevole, denuo Te oro atque obsecro in judicando hoc libello, quem fironis progeniuit calamus, humanitate atque indulgentia tua fretus. Vale! —

### De exanthematibus papulosis in genere.

Papula (Hautknötchen, le bouton francogallico, the pimple anglicò idiomate), exhibet prominentiam epidermidis parvam, subrotundam, acutam, duriusculam, in basi plus minus manifeste inflammatam, in qua nullum, quod oculis cerni possit, fluidum exsudatum est. Continet ad basin in diametro lineam dimidiam ad duas usque, in altitudinem tantam ad quartam lineae partem vel ad lineam integram adsurgens. Papula vero haec sive ejusdem est coloris, quae cutis parti adjacenti propria est, ubi serosa magis atque lymphatica inflammationis natura apparet, quae papula alba vocatur, ut in Prurigine; sive rubicunda et livida, halone plus minus inflammato cincta, ubi inflammatio arteriosa magis exstat, quae papula rubra dicitur, ut in diversis Lichenis speciebus. Prius papularum genus pruritus vehemens, alterum dolores ardentis et pungentes sequuntur. Quamvis papulae semper fere

tota corporis superficie exoriuntur, in nonnullis tamen partibus magis coacervari solent. Insidunt cuti per aliquod temporis spatium, tum vero discutiuntur sensimque corrugantur, ut etiam splendorem apicis amittant; nihilo denique vestigio relicto, cum furfuribus vel squammis desquamantur. Superveniunt excoriationes nonnunquam et ulcerationes superficiales. Exanthemata papulosa, minime contagiosa, saepissime decursum maxime chronicum capiunt; exacerbationibus et remissionibus manifestis intercurrentibus.

De papularum origine quàmvis magna adhuc inter auctores controversia locum habeat, omnes tamen de inflammatoria earum natura conveniunt. Plerique, Cel. Willani sententiam (1) sequentes, eas pro intumescentiis unius vel plurium papillarum cutanearum, inflammatione excitatis, habent. Contra Cel. Plumbius (2) nec minus Rayerus (3) papulas

- 1) Die Hautkrankheiten und ihre Behandlung, von Robert Willan, aus dem Englischen übersetzt von Frise. Breslau 1799. pag. 13.
- 2) Praktische Abhandlung über die Hautkrankheiten, von Samuel Plumbe, aus dem Englischen übersetzt. Weimar 1825. pag. 150.
- 3) Traité theorique et pratique des maladies de la peau, fondé par P. Rayer, Paris 1826, Tom. I, pag. 561.

ex eo originem ducere contendunt, quod praegressa inflammatione tumefacta vasa cutanea exiguum lymphae coagulabilis copiam in telam cutaneam exsudent. Nos quoque sententiae Cel. Plumbii accedere minime dubitamus, praecipue cum papulae iis in corporis partibus, quae, ut vola, planta atque extremitati digiti, papillis cutaneis maxime excullis gaudent, rarissime tantummodo se ostendant. Quam ad sententiam accipiendam id quoque nos movit, quod, si majoribus Strophuli papulis, qui morbus periodicus esse solet, acus infigitur, papulaeque inter digitos comprimuntur, lymphae aliquid pellucidae profluit. Si porro papularum in Prurigne acumina unguibus defricantur, liquor lucidus, in crustulam tenuem mox concrevens, erumpit." Villanus (4) denique ipse sequentia affert: „Unter diesen Umständen erfolgt eine unbeträchtliche Ergießung von Lymphe; die Flüssigkeit wird jedoch wieder eingesogen, ohne ein Zerplatzen der Oberhaut zu verursachen.“

Insolitus igitur actionis vasorum cutaneorum modus (5) vel status ipsorum inflammatorius ad excollandam papulam necessarius est, quem si lymphae coagulabilis exsudatio sequitur, adeoque turgor et

4) L. c. pag. 13.

5) Plumbi l. c. pag. 150.

status hic inflammatorius mitigatur, papula ipsa serius ocius absorbetur. Cum tamen sanguinis impetus, hanc cutis inflammationem excitans, plerumque permaneat, idem in vasis vicinis processus exoritur, quo pacto singuli deinceps papularum acervi existunt.

Tres inter exanthemata papulosa nobis species occurrunt: Prurigo, Lichen et Strophulus.

Lichen vero et Prurigo eo praecipue inter se differunt, quod papulae illius minores, rubicundae et inflammatae, in Prurigne majores cutique concolores inveniuntur. Lichenem dolores pungentes et ardentes, Pruriginem pruritus vehemens committuntur. In Lichene plerumque febres leves (6) nunquam vero in Prurigne occurrunt. Ille decursum chronicum vel acutum capit, haec tantum chronicum. Lichen homines puerili aetate florentes saepius afficit, nullum contra aetatis discrimen in Prurigne. Papulae denique Lichenis in desquamationem transeunt, Pruriginis vero, unguibus laceratae, in crustulas tenues vertuntur.

Strophulo haec symptomata propria sunt: reperitur plerumque in neonatis vel dentitionis tem-

6) Versuch einer medicinisch-chirurgischen Diagnostik von Schnalz. Dresden 1825. pag. 235.

ore et post eruptos primos dentes evanescere solet. Papulae ejus laete rubicundae, interdum et albae, halone minus inflammato cinctae, pomphis Urticae (7) non dissimiles sunt. Sirophulus plerumque cum nullis aliis turbatae valetudinis symptomatibus exoritur, faciem praesertim et extremitates superiores peragrans. Papularum magnitudo diversa. Ceterum morbus gravis in decursu exacerbationes et remissiones ostendit.

Diagnosis exanthematum papulosorum in genere, dum complicationibus carent, neutiquam magnas exhibet difficultates.

Ab Exanthematibus proprie sic dictis, quae non nisi certo temporis spatio praeterlapso, evanescunt et magis acutam inflammationem semper ostendunt, decursu incerto chronico et praecipue papulis differunt, cum contra in Exanthematibus plerumque rubor cutis laetus cum universalis tum partialis inveniatur. Papulis structura cutis plus minusve mutata conspicitur, quod minime in exanthematibus reperimus, in quibus ne epidermis quidem elata est. Exanthemata denique plerumque contagiosa sunt, quod in exanthematibus papulosis minime expertum habemus.

7) Rayer l. c. pag. 560.

Ab Exanthematibus vesiculosis papulosa eo distinguuntur, quod in illis prominentia epidermidis subrotunda fluido pellucido vel margaritaceo seroso, quod facile oculis conspicitur, exsudato, formatur, in his contra solida invenitur, et si unquam singulae papulae perspicua lymphae copia implentur, haec rursus absorbetur, neque ullam epidermidis rupturam, quae saepissime accidit in exanthematibus vesiculosis, efficit.

Differunt exanthemata papulosa a pustulosis, quae ab initio etiam qua papulae prodeunt, macula cutanea inflammata, eruptioni earum praecedente. Papula haec cito in pustulam transmutata, fluidum turbidum purulentum continet, quod mox in crustulam parvam, relicta cicatrice decidens, exsiccatur. Fit quidem in exanthematibus papulosis etiam, ut defricatione perpetua interdum pustulae inflammatae appareant, sed casu tantum oblatae, ut jam patet ex eo, quod sola defricatione fortuito exoriantur.

Variolae, quamvis ex stigmate vel puncto rubente, etiam in papulam abeunte, originem trahant, decursu tamen et phaenomenis ab exanthematibus papulosis magis discrepant, quam ut hoc loco quomodo a se invicem differant, fusius mihi liceat exponere.

In Lepra quoque prominentiam, papulae vul-

gari simillimam, papulam leprosam, Lentiginem, observare licei, quae tamen primo etiam qua macula rubra apparet, sensim sensimque in papulam lentiginosam adsurgens. Praeterea papula haec pollicem integrum saepe in diametro explet, papulamque nostram magnitudine longe excedit; tum etiam Lentigines plures saepissime in Pannum sic dictum conveniunt elatum, papulae contra vulgares singulae conspiciuntur.

Minime vero exanthemata papulosa semper tam facile distinguuntur, quippe quae defricatione et desquammatione, nec minus excoriationibus et ulcerationibus simultaneis ita formam suam interdum amittant, ut vix agnoscantur. Hic nova papularum eruptio expectanda et diligentissime observanda, quo diagnosis certioribus argumentis confirmetur.

## De Prurigne in specie.

Prurigo, (*Κνησμός*, Hautjucken) speciem exanthematum papulosorum eam exhibet, quae pruritu quodam peculiari et papulis cuti concoloribus manifestatur.

Sensum pruritus, quamvis plurimum morborum cutaneorum symptoma, tunc solummodo, si papula-

rum eruptionem sequitur, nomine Pruriginis designamus, secuti Cel. Villanum, qui pro sua parte auctoritatibus Plinii, Ingrassiae, Mercurialis et Hafenerferri innititur. Praeterea pruritus hicce nullis aliis in morbis cutaneis tam peculiari modo tantaque vehementia observatur.

Prurigo papula, exanthematibus papulosis propria, ab omnibus reliquis morborum cutaneorum generibus, colore vero papillarum, cuti adjacenti simillimo, a Lichene et Strophulo in specie distinguitur.

Cel. Rayerus (8) Pruriginem sub nomine Scabiei papuliformis in medium profert, quod, cum Scabies papuliformis Scabiei speciem secundum Batemanum (9) et alios significet, omnino falsum videtur; de differentiis earum infra plura afferemus.

## Symptomatologia Pruriginis.

Morbus pruritu cutis molesto, praecipue in cervice, in regione lumborum et in extremitatibus in-

8) L. c. pag. 60r.

9) Praktische Darstellung der Hautkrankheiten, nach Willans System bearbeitet von Thomas Bateman, a. d. Englischen übersetzt von Hahneman, Halle 1815. pag. 290.

dicatur. Haud ita multo post ortum pruritus in partibus modo memoratis, superficie diligenter explorata, papularum eruptio deprehenditur, quarum numerus continuo crescit. Papulae eruptae praecipue in cervice et humeris, in parte superiori pectoris et dorsi, in regione lumbari atque in extremitatibus apparent, copiosissimae quidem in antibrachio femorisque superficie interna. Faciem quoque papulae invadunt, sed partem tantum posticam malarum. Manus, pedes et pars crinita capitis immunes servantur.

Papulae Pruriginis parvas, vix oculis perspicendas, inter se disjunctas, duriusculas laevesque exhibent epidermidis prominentias. Lichenis papulas magnitudine superant, ita ut basis earum unam ad duas usque in diametro expleat lineas; praeterea minus illis sunt acutae, altitudine earum raro lineam excedente dimidiam. Eodem colore gaudent ac adjacens epidermis, neque ut Lichenis papulae rubicundae apparent atque inflammatae, nisi fortuitis incitantibus, praesertim continua fricatione, irritatae. Interdum ita sunt minutae, ut armatis tantum oculis conspiciantur.

Pruritus vehemens atque molestus, quo aegrotus assidue fere vexatur, magnoperè augetur, cum ille deposita veste in lectum se recipiens, incaluerit; quo fit, ut somnum omnino capere non possit,

vel primo e somno pruritu molestissimo excitatus, per plures noctis horas assidue excrucietur. Aegrotus invicto impetu ad fricandum fertur, quo quidem pruritus, ad momenta tantum temporis mitigatus, mox eo violentior revertitur, quo minus aeger a fricatione abstinnerit. Eodem modo pruritus calore augetur et hac ex causa hieme nunquam tam violentus est, quam aestate; ipsa hieme pruritus maxime accrescit, cum aegrotus in justo calidiori commoratur cubiculo; in juvene, Prurigine formicante affecto, 1827 anni hieme violentum pruritus subito omnino cessantem vidimus, frigore nocte quadam magnum in modum aucto; pluribus autem diebus post, frigore remittente, pruritus denuo apparuit. Magna corporis contentione, potu victuque incitante sumto, nec non menstruationis tempore (10) pruritus ingravescere solet, et si aegrotus prope ignem per aliquot temporis intervallum commorari coactus fuerit, molestus adeo sensus excitatur, ut vix tolerari possit. Pruritus plerumque per unam vel plures intermittit horas, praesertim cum aegrotus re aliqua assidue occupatur, eique omnem navat operam, e. g. dum laborem subit vel sumit cibum. Interdum noctu tantummodo ab aegroto sen-

10) Schmalz l. c. pag. 235.

titur, nullo interdiu ingrato sensu obvio, ut identidem observavimus. Saepius plures in dies omnino cessat, praesertim coeli temperie commutata, ita ut aegrotus ab hoc malo liberatum se existimet; subito autem denuo eum exercet. Vere malum ingravescere solet.

Papulae autem, pruritus, efficientes, quamvis plerisque in casibus constantes reperiuntur, sub omnibus tamen supra memoratis conditionibus, aequae ac pruritus, distinctiores apparent. Aegrotus assidue fricando papulas quolibet in loco pro libidine producere potest, vel efficere, ut, quae jam adsint, planiores evadant. Calidis in lavationibus papulae magis fiunt conspicuae (11), in frigidis plus minusve evanescentes; in decem annos nata puella, Prurigne formicante affecta, papulas inter curam omnino jam deletas vidimus, quamvis aegrotata noctu adhuc violenti vexaretur pruritu; simulac calido autem utebatur balneo, semper papulae in diversis corporis regionibus apparuere, hora post plerumque recedentes. De sententia igitur a Cel. Plumbio (12) prolata, qua pruritus hunc violentum sine papulis adesse posse contendit, optimo jure dubitandum nobis videtur; neglexit sane papulas, partim quod

11) Lorry de morbis cutaneis. Cap. III, art. 1, par. 2.

12) L. c. pag. 162.

saepius ita sunt minutae, ut oculis omnino non conspiciantur, partim quod colore ab epidermide adjacente non differunt; quarum quidem praesentiam balnei calidi usu vel cutis in aliquo loco fricatione quilibet facile percipiet. Apud nonnullos aegrotos fricando cutis mox rubescit, majores apparent papulae, immo noduli seu tubercula, quae vero recedente incitamento, statim recedunt.

Praeter pruritus papulasque has peculiare, tertium adhuc symptoma Pruriginem denotat praesentem; ex acuminibus nempe papularum, unguibus laceratarum, lucida vel sanguinea emanat lymphae, guttularum instar; quae quidem guttulae intra 12 ad 20 horas in parvas subrotundas easque tenues condensantur crustulas, coloris vel nigri vel rubicundi. Crustulae vero quamquam acus capitulum plerumque magnitudine superant, interdum tamen vix oculis conspiciendae, puncti tantum minuti imaginem prae se ferunt. Subjacenti inhaerent cuti et arcte eas circumdans epidermis haud raro apparet quasi plicata. Nonnullis post diebus crustulis his solutis, laesa sub eisdem cuticula regenerata reperitur. Crustulis, quae eo copiosiores apparent, quo magis aegrotus fricationi indulserit, corporis superficies, praesertim in cervice atque extremitatibus, punctis notatam accipit et variegatam speciem; ut Yilla-

nus (13) alique 'in operibus suis, imaginum aeri incisarum ope, hanc effingi jusserunt. Hae crustulae hand raro primum sunt symptoma, quod, ut praesentem Pruriginem inde colligamus, nos commovet.

Constanti fricatione ad Pruriginem interdum accedunt pustulae inflammatae, pure repletae, quae e rubra eaque hilariori assurgentes basi, in crassam duramque transeunt psoram. Pustulas, si ab initio Pruriginis apparent, non ad morbi naturam pertinentes, sed morbo accessorias tantum habeamus necesse est. —

Symptomata igitur, quae Pruriginem comitari solent, ut paucis omnia absolvam, sunt: pruritus molestus, mirum fricandi desiderium, eruptio papularum ejusdem coloris, qua cutis adiacens est tincta, crustularum peculiarium formatio et pustulae nonnunquam accedentes.

Quoad majorem vel minorem morbi ipsius vehementiam, duas Pruriginis distinguimus species, Pruriginem mitem et Pr. ferocem seu formicantem. Villanus tertiam adhuc affert speciem, Pr. senilem, quae formicanti sane adnumeranda est; monere quoque nobis liceat, Villanum in proferenda ter-

tia hac specie a principio divisionis, quod constituerat, recessisse, quippe qui Pruriginem quoad symptomatum vim distinguens, mox vitae aetatem in speciebus dispartendis secutus sit.

1) Pr. mitis in universum cognoscitur e supra memoratis symptomatibus, quae tamen hic modica tantum observantur. Pruritus praesertim exuta veste sentitur, et juniores plerumque, nullis praecedentibus morborum affectionibus, vere vel ineunte aestate hac Pruriginis specie afficiuntur. Papulae pectus tantum, dorsum, brachia et femora tentare solent. Quamvis maximam partem sola ex immunditie oriatur, permultis tamen aliis etiam causis, infra adnumerandis, excitatur.

2) Pr. ferox s. formicans ex majori symptomatum vi intelligitur; papulae majores sunt, quam in Pr. miti, et exceptis manibus, pedibus ac capillata capitis parte in unaquaque corporis regione offenduntur. Copiosissimae, autem in iis exoriuntur locis, qui consueto more arctioribus obteguntur vestimentis. Pruritus in Pr. formicante paene perpetuus et vix ferendus, ita noctu praecipue ingravescere solet, ut omnem fere aegroto somnum auferat; hic enim lecto relicto, impatienter circumcursat vel tamdiu in cubili volitari et fricandi desiderio indulgere solet, donec tandem ad lucem somno opprimitur, languore confectus; quin dormiens saepius cum furore quodam

13) L. c. Pl. VII. fig. 2, 3. Confer. Plumbe, l. c. Tab. I. No. 16. Rayet l. c. Pl. VII. fig. 9, 10, 11.

14) Willan l. c. pag. 46.

corpus scalpens cernitur. Cum pruritu et alii sensus molesti conjuncti sunt, quos aegroti vario modo describere solent; nunc iis videtur, cutem ubique a formicis pungi, quapropter Villanus hanc speciem nominavit formicantem; nunc veluti insectorum in corporis superficie reptantium molestam accusant vexationem. Ipsi aegroti libenter et multa de malo suo disserentes, morbi causam habent humorum acrimoniam, quorum in cutem congestionem sentire opinantur. Quae Pruriginis species semper fere ex turbata jam valetudine oritur; saepissime connexa est cum tractus intestinalis perturbationibus.

Prurigo senilis, quoad veram morbi indolem atque naturam, non est diversa a formicante; et hic papulae, majores quam in *miti*, pruritum violentissimum provocant. Interdum omnem corporis superficiem splendidam esse, in 78 annos nato sene observandi nobis copia facta est; praeterea hoc in casu non solum cutis quam maxime laxa, aspera et rugosa apparuit, sed epidermis etiam in extremitatibus squamatim solvebatur. Villanus omnem corporis superficiem furfuribus et squamis obiectam saepenumero observavit. Aegrotus, continuo vexatus pruritu, ne minimam quidem levationem in posterum sperare potest. 15) Prurigo etiam senilis cum perturbata digestionem connexa esse videtur.

15) De curandis hominum morbis epitome auctore I. P. Frank, Mannheimii 1793. Lib. IV. pag. 187.

### Universalis corporis valetudo.

Valetudo in Prurigine parum turbata esse solet, ita ut aegroti de solo pruritu molesto querantur. Ipsam papularum eruptionem febres non comitantur, quae in aliorum exanthematum evolutione nunquam fere desunt. Valent haec praesertim in *Pr. miti*, quae, valetudine nulla adversa praecedente, sanos plerumque juvenes aggreditur et per decursum etiam functiones non turbat. Eruptionem *Pr. formicantis*, quae, ut plerumque fit, cum turbata indigestione conjuncta reperitur, secundum Villanum 16) dolor capitis et ventriculi nec non nausea antecedunt, quae symptomata, exanthemate subito a superficie repulso, majori impetu revertuntur. Cel. Alibertus 17) in nosocomio publico „Saint-Louis“ appellato post suppressam Pruriginem congestionem, nauseam, deliria, stuporem, syncopas atque hydropem anasarcam observavit. Durante morbo semper fere alvum adstrictam et continuum capitis dolorem vidimus. Appetitus ciborum bonus, immo auctus invenitur. Prurigo senilis quoque nunquam fere reliquam totius corporis valetudinem turbat, flatulentia, alvo adstricta aliisque indigestionis turbatae symptomatibus exceptis.

16) l. c. pag. 48.

17) Dictionnaire des Sciences médicales. Paris. 1820. Tom 45. pag. 536.

### Complicationes.

Praeter papulas Pruriginis proprias, interdum et fortuitae cutis laesiones, rimae, rhagades, indurationes epidermidis observari possunt. Cum homines Prurigine affecti, munditiae neglecta, cutem continuo perfricant, pustulae, de quibus supra diximus, inter papulas nonnunquam exoriuntur. Interdum etiam scabiem una cum Prurigine adesse posse, persuasum mihi habens, in eandem cum Cel. viris Villano et Batemano, qui Pruriginem hoc in casu in Scabiem transisse putant, sententiam abire nequeo; papulae enim, eodem tempore cum pustulis vere scabiosis praesentes, Pruriginem et Scabiem simul locum habere, certiores nos reddunt, quo accedit, quod utriusque ortus quam maxime immunditiae adjuvatur. Ita etiam pediculorum in corpore procreatio ipso squalore promovetur, licet Villanus statum cutis peculiarem in Prurigine senili causam ejus esse contendat; quae ejus sententia eo minus probanda nobis videtur, quo intelligi haud poterit, cur status cutis ipsius in Prurigine tantum sinili, neque in Prurigine generatim etiam, procreationem pediculorum corporis adjuvet, cum e contrario pediculos saepissime in infantibus nasci, res satis nota sit. Juvenis quidam, Prurigine formicante affectus, cuius vestimenta numerosam pediculorum multitudinem nobis ostendebant, foeda hac morbi complicatione linteis saepius mutatis et balneis tepidis adhibitis liberatus est, nec postea ullam pediculorum pro-

creationem in ipso observavimus. Cum Lichene etiam Pruriginem complicatam se vidisse Rayerus contendit, quae quidem complicatio certe non facile agnoscitur.

### Decursus.

Decursus Pruriginis in univèrsum lentus admodum atque chronicus. Ipsa quidem Prurigo mitis, tum vere, tum ineunte aestate apparens, interdum per totum paene mensium aestivorum spatium moratur. Pr. formicans et senilis, per quatuor anni tempora promiscue nascentes, plerumque per plures annos perdurant, neque a semel correpto decedunt usque ad diem ejus supremum. In decursu Pruriginis conspicuae iucidunt remissiones, licet non longioris vulgo morae, quum praeterlapsis aliquot diebus in recenti papularum eruptione denuo jam sentiatur pruritus molestus. Ad remissiones morbi et exacerbationes magnam habere vim commutationes temporis quadripartitas, coeli conditionem ac temperiem, jam supra dictum est.

### Exitus.

Prurigo mitis, commodae medendi methodo cedens, in bonam saepissime abire solet valetudinem, quippe cum, cessante cutanea inflammatione, quae formationem papularum praecedere debet, secuta simul resorptione lymphae, in telam cutaneam emissae, et reliqua evanes-

cant Pruriginis phaenomena, ita ut morbus decedat, ne vestigio quidem ullo relicto.

Insanabilis in his praecipue casibus Prurigo est, ubi regimen congruum et medicorum consilia negligebantur nec causae morbum excitantes vel praedisponentes tolli poterant. Si in cute dura et incrassata senis Prurigo inveteraverit, epidermis haud raro retinet proclivitatem, furfuribus vel squamulis decidendi.

Pruriginem in alios mutari morbos, Cel. Villanus non sufficienter probavit; vanam vero opinionem, Pruriginem in Scabiem, Phthiriasin etc. abire, argumentis nonnullis jam supra refellimus.

### Diagnosis.

Diagnosis Pruriginis, quae sine complicationibus prodit, haud difficilis, et vix intelligo, quid causae fuerit, cur saepius tum ceteris permutata sit exanthematibus, ita ut toties falsa adhiberetur curandi ratio. — Ad diagnosis constitutendam pruritus in cute permolestus et invita illa ad fricandum proclivitas omnino non sufficiunt, quippe quae communia sint permultis exanthematibus, praecipue Urticariae, Scabiei, Eczemati etc. Quamvis haec sensatio in Prurigine peculiarem innuat characterem, in singulis tamen casibus adeo differt, ut signis pathognomicis non sit adnumeranda. Symptoma vero in quo Pruriginis natura potissimum cernitur,

eruptio est papularum, cuti vicinae concolorum. Quae quidem papulae, si nimis exiguae, quod saepe fit, aciem fugiant oculorum nostrorum, lavatione tamen tepida adhibita vel assidue fricando procidentes, facillime apparent. Juvat quoque, ut certa constituantur diagnosis, observare peculiare illas crustulas et investigare causas morbi vel excitantes vel praedisponentes, infra adhuc describendas. Sed multo difficilior fit diagnosis Pruriginis, cui assidue fricando accessere rimae, rhagades, excoriationes, ulcerationes vel insignis epidermidis desquamatio. Tum diligenter inspiciendae sunt integrae in vicinia deformatarum ac degeneratarum papulae, si sint earum, aliquot, vel expectanda est nova papularum eruptio, e qua certa constitui possit diagnosis.

Quantopere Prurigo ab aliis differat exanthematibus papulosis, praesertim a Lichene, jam supra demonstratum est.

Inter cetera exanthemata chronica sunt Scabies et Eczema, quibuscum Prurigo saepissime permutatur.

Inter Scabiem et Pruriginem hoc maxime interest, quod in illa vesiculae vel pustulae, minime vero papulae occurrunt, ita ut in ipsa quidem Scabie papuliformi, diligentissima inspectione instituta, vesiculae tantum appareant, nunquam vero papulae. 18)

18) Bateman, l. c. pag. 290.

Papulae Pruriginis depressiores sunt vesiculis vel pustulis Scabiei et minus acutae; colore tinctae epidermidis vicinae, omnino carent humore, quum contra vesiculae et pustulae Scabiei in basi sua inflammatae, e macula rubicunda, sero vel pure repletae exurgant. Pustulae scabiosae, sponte dehiscentes, acrem effundunt liquorem et in ulcuscula abeunt, quae psora obducuntur, papulae Pruriginis contra in furfura maxime mutantur, vel unguibus dilaceratae, in tenues illas peculiaris formae crustulas. Quamvis pruritus in Scabie minus sit vehemens, nec cupido scalpenti modum excedat, sensatio tamen haec toto dierum intervallo non intermittit; quod quidem in Prurigine plerumque contingere solet. Papulae Pruriginis, omnes paene corporis partes occupantes, in manibus et pedibus nunquam conspiciuntur; Scabiei autem vesiculas et pustulas inter digitos praecipue offendimus, in externa manus et pedis superficie, flexuras asticulorum, poplitem, cubiti flexuram, cavitatem axillarem et posteriora, nunquam vero faciem inquinantes 19), in qua saepe efflorescunt papulae Pruriginis. Crustulae secundum Rayerum 20) in Prurigine purpureae apparentes vel subnigrae, in Scabie vero subflavae, signis pathognomicis adnumerari nequeunt, quippe quae et in Scabie papuli-

formi deprehendantur subnigrae 21). Scabie erumpente, febres accedunt circa vesperem et per noctem, repetitis in decursu aegritudinis viribus praesentes et increscentes, ac tum praecipue, si novae secutae sint exanthematis eruptiones, sed neque in eruptione Pruriginis neque in ejus decursu febris unquam observata est. Scabies denique infectionis via latius propagatur, sed omnino non Prurigo.

Eczema a Prurigine vesiculis differt acutis, semipellucidis, constipatis et cohaerentibus; plerumque aestum consequitur externum, in cutem agentem, raro ex vitii constitutionis oriens. Eczema porro non nisi digitos invadit, manum et antibrachium, neque cum pruritu consociatum reperitur, sed cum dolore potius acriter pungente. 22)

#### Divisio.

Cel. Villanus, cujus auctoritatem secuti sunt viri Cel. Batemanus, Richterius, Rayerus etc., ratione sedis Pruriginem distinguit in universalem et in topicam; equidem existimaverim, non nisi Pruriginem universalem statui posse, quum affectiones illae topicae, quas Villanus nominibus Pruriginis podicis, praeputii, urethrae, pubis, pudendorum muliebrum et scroti designavit, quaeque cum Prurigine nil nisi pruritum vehementem habent commune, ad Prurigi-

19) Bateman, l. c. pag. 291.

20) l. c. pag. 601.

21) Bateman, l. c. pag. 291.

22) Bateman, l. c. pag. 369.

nem nequaquam sint referendae, signo ejusdem pathognomico carentes, nempe papulis, cuti cingenti concoloribus. Quodsi in affectionibus his topicis papulae, quod rarissime fit, tamen occurrant, etiam in aliis corporis partibus eas conspicias, et Prurigo topicum facit universalis partem. Ipse Villanus, qui illud observaverat, his verbis utitur: „Neben diesem Zufall erfolgt oft ein Ausbruch juckender Blätterchen am Nacken, an der Brust und am Rücken.“ 23) Interdum vero in affectionibus his topicis omnino deest, ut supra jam diximus, papularum eruptio, quod Villanus ipse hoc modo concedit: „Das Jucken ist nicht immer mit einem Ausbruch von Blätterchen oder Papeln begleitet“; 24) in sententiam ejus discedente Plumbio 25): „Die Theile, welche vorzüglich als der Sitz heftiger juckender Empfindungen angegeben werden, und welche gewöhnlich nicht von Papelausschlägen begleitet sind, sind der Umkreis des anus, das perinaeum, scrotum, praeputium u. s. w., quod opinionem nobis confirmavit, allatos hos casos minime ad Pruriginem spectare. — Quae cum ita sint, Pruriginem localem sive topicam negare nobis placet, affectiones vero illas topicas Intertrigini adsignare,

23) l. c. pag. 57.

24) l. c. pag. 57.

25) l. c. pag. — 169.

cum qua ratione sedis, causarum et phaenomenorum maxime consentiunt. Ratione sedis nempe et Intertrigo juxta internam occurrit crurum superficiem, in podicis rima, inter vulvae labia et circa scrotum. Consequitur Intertrigo etiam, ut affectiones illae topicae, a Cel. Villano allatae, munditiam neglectam, ingravescens adhuc morborum partium affectarum secretionibus. Symptomata denique, pruritus vehemens, dolores, aestus, rubor, excoriations, secretiones morbosae, communia Intertriginis et Pruriginis sunt.

Prurigo praeterea, prout leviora sint vel graviora ejus symptomata, in mitem distinguitur et in formicantem s. ferocem; ratione vero aetatis individui correpti, in infantilem, adultorum et senilem, inter quas prima naturam plerumque exhibet Pruriginis mitis, ambae posteriores saepius Pr. ferocis s. formicantis.

#### Sectio cadaverum.

Visa reperta, quae hucusque a nobis leguntur, per Alibertum 26) vulgata, naturae morbi lucem non attulere, quum solas complicationes spectarent, casu et fortuito malum nostrum comitantes;

26) Dict. d. Sc. med. Tom. 45 pag. 537.

unus nempe ex traditis ei aegrotis ischuria perierat, alter serosis exsudationibus in majores corporis cavitates, tertius encephalite. Quae cum ita sint, Aliberti visa reperta, etiamsi diligentissime explicata essent, nullam nobis offerrent utilitatem, et exoptandum est, ut in posterum in dissecandis hominum cadaveribus, qui Prurigne moriuntur, accuratius examinetur status telae cutaneae pathologicus et conditio tractus intestinorum, quacum morbus ipse videtur arcte conjunctus.

#### Aetiologia.

Causae morbum excitantes. Prurigo ab uno individuo non transit in alia, quippe cui omnino vis inficiendi desit, quod quidem ex eo patet; quod homines ea infestati, alios, quibus multum usi erant, malo suo non infecere; quod Prurigne alii correpti sunt, qui cum hoc malo vexatis haudquaquam versati erant; denique quod semper fere Prurigo ex interno pendet statu morbo. Sunt vero, qui pruriginem censuerint contagiosam, Scabiem sine dubio cum illa permutantes. Inter causas Pruriginem excitantes primo loco numerandae sunt sordes in cute collectae, quae ut incitamentum damnosum in eam agunt et exhalationem cutaneam admodum impediunt. Itaque Prurigo frequens vagatur inter homines plebejos ac pauperes, apud illos por-

ro, qui in locis uliginosis vitam degunt, vel qui nendo lanam tractant, apud sartores aliosque opifices, qui in negotiis, quibus vitam sustentant, a sordibus cavere nequeunt. Aliae causae excitantes sunt: ciborum corruptorum usus, imprimis piscium rancidorum, abusus carnis, aromaticorum, spirituosorum, quae nocent tractui intestinorum, cujus conditio miram in cutem habet vim. Sunt et suppressae haemorrhagiae, a quibus deduci potest Pruriginis origo. Secundum Villanum Prurigo nascens ingravestit vita sedentaria et umbratili, crebris vigiliis, deprimentibus animi affectibus, nimia quoque corporis contentione. Pruriginem excitari a peculiari quodam insecto e genere pulicum, nomine Pulicis Pruriginis senilis a Gel. Joerdensio 27) designato, Villanus conjectura auguratus est, qui horum insectorum agmen quondam deprehenderat supra corporis aegroti superficiem ac vestes decurrentium; nec ille vero iterum, nec alius postea unquam tale quidquam observavit.

Causae praedisponentes sunt: morbosa cutis sensibilitas, turbata organorum reproductio,

---

27) Entomologie und Helminthologie des menschlichen Körpers von Dr. Joh. Heinrich Jördens. Hof. 1801.

praecipue abdominalium, eorumque infarctus et indurationes, diathesis scrophulosa et syphilitica qua semina morbi hereditaria 28), aetas senilis, corporis constitutio infirma, sensibilis, animi affectio tristis ac melancholica; secundum Alibertum 29) Prurigo etiam interdum nativa est.

Quod species Pruriginis attinet, Pr. mitis e sola saepe oritur immunditiae; formicans contra cum digestionem turbata conjuncta reperitur et vulgo sunt homines structura invalida, vultu pallido, cachectico, alvo adstricta laborantes, qui illa infestantur; Pr. senilis, e plethora nonnunquam nascens 30), semper propemodum comes est insanabilis organorum abdominalium perturbatorum.

Quod de natura vel proxima causa exanthematum papulosorum in universum dictum est, Pruriginem specialiter spectat, inflammatione cutanea excitata, in cujus exitu papulae erumpunt, lympham coagulabili in telam cutaneam parce effusa. Inflammatio in Prurigine non ut in illa Lichenis veloci gaudens decursu, sed lento potius ac chronico molesta (31), causa forsitan est, quod papulae Prurigi-

28) Dict. d. Sc. med. l. c. pag. 539.

29) Dict. de Sc. med. l. c. pag. 532.

30) Dr. Aug. Gottl. Richter's specielle Therapie Berlin 1818. Tom. VI. pag. 280.

31) Plurigo l. c. pag. 161.

nismius rubicundae et inflammatae appareant, quam Lichenis, nec cum doloribus acriter pungentibus et urentibus, sed solo cum pruritu sint consociatae. Fricatione aliisque incitamentis, quibus inflammatio cutanea magis magisque crescit, pruritus Pruriginis in dolores transit pungentes et urentes (32). — Molestiae vero multae ac magnae, quas pruritus nobis adfert, ex eo sane sunt explicandae, quod cutis organon est tam sensibile, tot nervorum ramificationibus instructum.

#### Prognosis.

Prurigo, quamvis inter periculosos morbos non facile referatur, vexatum tamen, imo cruciatum aegrotum, ab omnibus fere gerendis negotiis prohibet et saepenumero ita omni curae resistit, ut prognoseos omina in universum infausta videantur. Gravioribus in casibus Pruriginis symptomata arte medica nequaquam sanari sed leniri modo et mitigari possunt, ac quoties morbo pertinaci, rarissime quidem, mederi contigit, saepissime tamen aegroti in morbum reciderunt. Prognostica prosperiora statuenda, ubi res omnino externae, neque vero vitia interna, affectiones abdominis, status scrophulosus etc. morbi causam praebebant; eo auspiciosa etiam

32) Schmalz l. c. pag. 235.

sunt, quo breviori temporis spatio morbus morabatur, quo robustior et irritabilior est constitutio et quo magis homo juvenili aetate viget.

#### Cura.

Pruriginis cura duabus praecipue absolvitur partibus, sive occasionalium et praedisponentium causarum remotione, sive proximae morbi causae curatione.

Ad removendas causas occasionales imprimis munditiei est consulendum, sedula linteorum commutatione, iterum atque saepius repetito tepidorum balneorum usu, evitandisque omnibus, quae immunditiam augeant, negotiis; qua sola ratione, cum domicilium simul a sordibus immune ac siccum servatur, aegroti interdum, nullis aliis adhibitis medicamentis, convaluerunt. Praeterea omnia nutrimenta corrupta, cibi potusque supra memorati nimis incitantes, omnino fugienda. Victus potius concoctu facilior et e regno vegetabilium eligendus, atque illae, quae inde fortè oriantur ventriculi et intestinorum affectiones, lege artis curandae sunt. Haemorrhagiae suppressae restitui debent.

Quod ad causas attinet praedisponentes, ante omnia frequentes illi infarctus atque indurationes organorum abdominalium medicamentis resol-

ventibus 33), forsan et infra commemorandis, tollantur necesse est; quo factò morbus plerumque mox evanescit. Hereditaria ad morbum praedispositio, praecipue scrophulosae diatheseos curationem requirit 34). Nimia organi cutanei sensibilitas eo optime diminuitur, si aegrotò, omnibus calidioribus tegumentis, cibis potibusque incitantibus subtractis, tum cubile frigidiusculum praecipiamus, tum aëre puro atque frigido eum imbuamus.

Cum proxima morbi causa in inflammatione atque exigua liquoris lymphatici in telam cutaneam effusione sit ponenda, quin partim methodus antiphlogistica, ratione quidem circumscripta, partim remedia resorptionem augentia cutisque actionem commutantia indicata sint, minime dubitamus. Methodus antiphlogistica primo morbi initio vel ibi etiam commendatur, ubi, durante adhuc morbo, eruptiones novae pruritu vehementiori papulisque novis exorientibus indicantur; contra autem ea, quae resorptionem augent et cutem alienant, medicamenta, remotis modo occasionalibus et praedisponentibus

33) Ueber die Erkenntniss und Cur der chronischen Krankheiten von Dr. W. A. Haase. Leipzig. 1820. Vol. I. pag. 190.

34) Haase. l. c. Vol. III. par. 299. — 305.

causis, in unoquoque fere durantis morbi stadio, efficacissima sese exhibent.

Jam nunc ad recensenda omnia remedia, contra Pruriginem commendata, tum externa, tum interna, transeundum nobis videtur, de quorum autem ad praesentem statum, accommodatissimo delectu ingenium tantum medici, principium modo memoratum sequentis, recte judicare poterit.

Quam maximi momenti in curanda Prurigine remedia sunt externa, quibus adnumerantur:

a) Balnea, omnium certe, quibus contra Pruriginem utuntur, remediorum praestantissima. Prugando atque emolliendo cutem, tum transpirationem augent, tum, mitigata ejusdem sensibilitate, quam maxime pruritus vehementem diminuunt. Ad lavandum vero vel aqua tepida, vel frigidiuscula, nec vero frigida et calidiore, quae semper nocent, utendum est; quam ob rem fluviatilia et marina balnea calidis et aestivis diebus plerumque salubria, aere frigido maximum afferunt detrimentum, nec non tepidae in cubiculis paratae lavationes eadem ratione morbum leniunt, qua calidae in balneis nostris, nimis plerumque calefactis, eundem augent. — Balneorum usus, licet initio morbus per ea ingravescere videatur, per longius tamen temporis spatium ita continuandus est, ut aegrotus semel vel bis quotidie, semperque una vel dimidia hora, lavetur. Plurimis in casibus balnea

ex aqua simplici fluviatili aut lactea 55) vel etiam illa, quibus furfura aut vegetabilium mucosorum decocta adjiciuntur, sunt suadenda; ad resorptionem autem magis magisque augendam cutisque actionem mutandam, balnea saponata, alcalina, praecipue vero sulphurea artificialia, quae quidem ita parantur, ut Kali sulphurati vel Calcariae sulphuratae unc. 2 — 3 communi balneo adjiciantur, quam maximum habent momentum. Quamvis inter balnea sulphurata naturalia Villanus prae ceteris fontem sulphureum Harowgatae commendat, balnea tamen Nendorffii, Aquisgrani, Landecae et Badae, si modo reliquis conditionibus omnibus secundis adhibentur, non minus profutura esse, persuasum nobis habemus. Aquas Harowgatas artificiales Wilkinsonus sequenti ratione parari jubet:

R. Sodae muriat. lib. duas

Magnes. sulphur. unc. tres.

Potass. sulphurat. lib. unam

Aquae congel. lib. XXXIV.

Salibus primum in aquae congelatae esse solutis, Hepar sulphuris adjicitur et tum demum aqua, quae superest, calida affundatur oportet 36). Quibus balneis, si, quod interdum fit, nimis cutem incitent,

55) Dict. d. Sc. med. l. c. pag. 543.

36) Plumbe. l. c. pag. 168.

substantiae gelatinosae admisceundae vel per vices balnea simplicia tepida interponenda sunt.

b) Suffimenta sulphurea, quibus etiam contra Pruriginem utimur, quam maxima laude digna habenda, quippe cum, cutem externam quodammodo incitando, metamorphosin in ea augeant neque liberam ejusdem actionem unguentorum more deminuant 37). Plerumque etiam fumigationes tales ab aegrotis optime perferuntur et in universum unguentis sulphuratis, partim ob majorem munditiei gradum, partim quod nunquam talem cutis incitationem, qualem unguenta, provocant, longe sunt praefereundae. — Ad fumigandum, quod optime in cista huic rei destinata perficitur, medici Franco-gallici semper florum sulphuris grammis septem i. e. drachma una cum dimidia, si gramma granis tredecim aequalis ponitur, opus esse contendunt. Quibus balneis, ex fumo sulphureo paratis, aegroti semel vel bis quotidie semperque per quartam vel dimidiam horae partem imponantur, ea tamen ratione, ut si nimis forte incitentur, usus eorum vel omnino intermittendus, vel cum balneis simplicibus, emollientibus aut vaporariis conjungendus sit. Haud parum certe eo etiam cura Pruriginis accelerari potest, quod vestes aegrotorum inter

7) Lehrbuch der Pharmacodynamik v. Dr. P. Voigt. Giessen, 1823. Vol. II. pag 439.

fumigandum semper in cista suspenduntur. Quam quidem methodum secutus Cel. Rapou 38), etiam aegrotos nonnullos Prurigine liberavit. Nunquam vero ad Pruriginem infantum sanandam fumo sulphureo utendum videtur.

c. Balnea vaporaria in iis praecipue inveteratae Pruriginis casibus commendantur, ubi cutis rigida, sicca crassaque apparet. Aquae enim vaporations, emolliendo atque humectando, nimiam cutis siccitatem et membranaceam ejus qualitatem auferunt; ita ut normalis hujusce organi actio restituatur.

Batemanus 39) lavationes corporis cum liquore Ammoniae acetato eo forsitan consilio commendat, ut lymphaticorum in cute vasorum vis resorbendi leniori quodam gradu augeatur, papulaeque citius hoc modo dissolvantur. Quod quidem remedium, cum, ut ipsi experti sumus, Prurigini quamvis non perfecte medeatur, quam maximum tamen afferat levamentum, saepe commendatione dignum nobis videtur.

Unguenta mercurialia et sulphurata, lavationes cum aqua calcis vel solutionibus Zinci et Sublimati, quia non multum proficiunt, commendari nequeunt.

Inter remedia ad Pruriginem adhibita interna imprimis sanguinis missiones collaudantur;

38) Traite de la methode fumigatoire par T. Rapou. Paris. 1827. Tom II. pag. 131.

39) l. c. pag. 51.

quam tamen, si partē inflammatae organisationem atque inflammationis ipsius indolem respicias, in univ-  
ersum raro aderit indicatio: pertinet enim maximam  
partem cutis ad systema lymphaticum, quare inflam-  
matio ejus, ab indole synochali longe aliena, lentam  
speciem potius prae se fert. Ibi vero, ubi totius cor-  
poris plethora Pruriginem comitatur, venaesectio  
certe locum suum habebit, qua instituta inflammatio-  
nis cutaneae symptomata nec non pruritus molestus,  
ad aliquod temporis spatium plerumque tolluntur.  
Tum etiam commendantur Tartarus depuratus, bora-  
xatus, natronatus, Kali aceticum et quae alia sunt  
ejusdem generis lenitiva, quibus adhibitis, si  
modo constitutio non impedit, quominus methodus  
evacuatoria per alvum continuetur, affectio localis  
certe mitigabitur (40). Virum quendam, triginta an-  
nos natum, atrabiliari constitutione temperamentoque  
melancholico, cum Prurigine fornicante et excretio-  
nibus alvi simul segnioribus eum laborare animadver-  
sissem, per tres hebdomades resolventibus laxanti-  
busque remediis praescriptis, quotidie primum sim-  
plici, tum furfuraceo, denique sulphurato balneo  
adhibito, non pruritu solum molestissimo, sed omni  
etiam exanthematis eruptione liberavi. Deinde  
potionibus quoque diluentibus, sero lactis,

40) Plumbae. l. c. pag. 168.

vegetabilium plurimum v. c. Bardanae, Saponariae,  
Graminis, Taraxaci decoctis, exoptato eventu utun-  
tur. Quibus autem remediis solis adhibitis, perpauca  
nos praestituros esse, nisi externis illis, quae attuli-  
mus, praesertim balneis simul utemur, etiam atque  
etiam monendum nobis videtur.

Collaudat Villanus (41) inter alia praecipue etiam  
Natrū depuratum, modo parum, modo cum  
sulphure conjunctum, quo adhibito morbi nostri  
symptomata quatuor vel sex hebdomadam intervallo  
omnino tolli certiores nos facit. Virtutes quidem Na-  
tri carbonici resolventes, immutantes et diureticae  
optimum sane effectum pollicentur, neque nos ipsos  
deseruerunt, cum puellam quandam quatuordecim  
annorum, quae, jam a secundo aetatis anno Prurigine  
fornicante laborans, constitutione manifeste scrophu-  
losa praedita esset, eorum ope sanare studuerimus;  
quo quidem in casu urina, cujus copia valde auge-  
batur, quoad qualitatem etiam suam adeo immutaba-  
tur, ut pallida, crassa, opaca fieret odoremque pe-  
culiaris generis nauseosum emitteret; papulae ipsae  
e conspectu abierunt, pruritu omnino fere extincto.

Nec non Sulphure interdum magno cum suc-  
cessu usi sumus, quam ob rem Cel. Plumbii (42) sen-  
tentia, Sulphur in Prurigine aliis catharticis minime

41) l. c. pag. 50.

42) l. c. pag. 163.

praefendum esse, audacissima nobis videtur; tantum enim abest, ut Sulphur solam actionem tractus intestinorum augeat, ut etiam in cutem agendo inertiamque hujus organi auferendo exhalationem adjuvet et metamorphosin ejus magis expeditam producat.

43) Apud homines robustiores et juniores antea vasorum actio remediis supra memoratis antiphlogisticis et resolventibus imminuenda.

Acidum muriaticum oxygenatum a Batemano 44) magnopere laudatum, propria experientia ducti, commendare nequimus. Quamquam enim a praevaletenti hujus medicamenti vi in metamorphosin cutis, systema lymphaticum inque diuresin, effectum optabiliorem exspectare licuisset, tres tamen per hebdomades a nobis adhibitum hocce femedium, nullum Prurigini formicanti attulit levamen. Magis jam acido sulphurico profecimus, videlicet Elixirio Vitrioli Mynsichti, quo in Prurigine senili efficacissimo cum effectu usi sumus. Hydrargyri praeparata, diaphoretica et antimonialia Villanus nullius in morbo momenti esse, quin adeo damnum inferre, contendit.

Nuper admodum in sectione therapeutica nosocomii nostri Dorpatensis, pilulae piceae prospero eventu ad Pruriginem formicantem sanandam adhibitae sunt. Quas quidem propter optimum, quem

43) Vogt. l. c. Vol. II. pag.

44) l. c. pag. 51.

habebant ad Lepram Alphoidem adhibitae, successum, nec non ob virtutes earum diureticas, diaphoreticas et temperationem corporis immutantes, Cel. Professor Dr. Struve in Prurigine formicante, jam inveterata, ordinandi consilium cepit. Aegrota, puella undecim annos nata, ceterumque habitu sano, pilulas recepit has:

R. Picis burgund. unc. semis,

Exir. tarax. q. s. ut f. pilularum massa,  
ex qua formentur pilulae No. 120.

S. Ter quotidie pilulae quatuor sumendae.

Quibuscum usus picis externus conjungebatur, quo facilius exanthema dissolveretur cutisque metamorphosis aptior redderetur:

R. Adipis suillae unc. tres.

Picis burgund.

Cerae flavae aa. drachm. tres.

M. f. unguentum.

Quod vero ipsum unguentum quotidie tempore vespertino partibus magis affectis infricabatur, horae spatio post balneum tepidum praeterlapso. Ita factum est, ut unguentum intra nycthemeron semper per horas viginti tres cuti immoraretur. Hac ratione morbum tractantes, duas quotidie ad tres liquidas alvi dejectiones intrantes vidimus, quae autem vires omnino non diminuerent; urina, copiosior redita, odorem piceum spargens, turbidam ex flavo, canescentem nebulam ostendebat. Molestiis sensim

sensimque decrescentibus, pilulas sex ter quotidie praebimus; quo facto, papulae femora, cervicem nec non pectus obtegentes, funditus evanuerunt; pruritus vero molestus, hucusque per diem noctemque assidue ad perfricandum cutem incitans, eoque ipso quietem perturbans, nunc tandummodo leviter et praetereundó, tempore quidem nocturno apparuit, donec sensim sensimque funditus tollebatur.

In medicamentis tum internis, tum externis eligendis quam maxima constitutionis aegroti ratio habenda est. Inprimis autem digestionis organorum status respiciendus, quippe qui remediorum supra memoratorum usu saepissime adeo debilitatus appareat, ut tonica, praecipue extracta amara, adhiberi necesse sit. Quae cum ita sint, Batemanum (45) nonnullis in casibus, Cortice Peruviano adhibito, mutationem in melius attulisse, facile intelligitur.

Ne vero aegrotus in morbum, quod saepissime fieri solet, denuo incidat, balnea tepida adhibeantur omnesque causae, sic dictae occasionales, accuratissima removeantur.

#### Diaeta et vivendi ratio.

Adsit diaeta modertior, parca adeo; cibi potusque incitantes omnino evitentur; adsumatur victus

45) l. c. pag. 50.

vegetabilis et facilis digestu, lac, serum lactis aliaeque diluentes supra memoratae potiones; consulatur munditiei vel maximae tum balneorum ope, tum linteis saepius permutandis; aeris temperies, qua aegrotus retinetur, modice calida, imo frigidiuscula sit fruaturque patiens meliori anni tempore aëre puro. Vita sedentaria, vigiliae eodem modo ac nimius labor, vehementioresque animi affectus fugienda sunt. Cum autem aegrotus, animum suum alias ad res intendendo, non solum rarius perfricandae cutis occasionem circumspeciat, sed etiam omnia morbi incommoda facilius obliviscatur, vel maximam curam in eo etiam ponendam esse censemus, ut aegrotorum animus aptis occupationibus oblectamentisque continuo a molestiis, quas patiuntur, abducatur et relaxetur.